

DE ARISTOTELE
PATRIARUM RELIGIONUM AESTIMATORE.

O R A T I O

QUAM AD AUSPICANDUM MUNUS PROFESSORIS PUBLICI ORDINARI
IN LITERARUM UNIVERSITATE RUPERTO-CAROLA HABUIT

CAROLUS ZELL,

PHILOS. DOCT. CONSILIARIUS AULICUS, ORDINI LEONIS ZARINGICI
ADSCRIPTUS.



HEIDELBERGAE.
SUMTIBUS CAROLI WINTER,
MDCCCXLVII.

Typis G. Reichardi.

Quod plerumque usu venire solet novum vitae genus capessentibus vel repetentibus diutius intermissum, ut animos habeant diversis cogitationibus commotos, idem egomet nunc cum maxime mihi accidere sentio. Haud leviter enim commoveor dum muneris suscepti pondus reputans virium mearum modulum cum tot clarissimorum virorum laude in hac academia docentium compono. Sed rursus plura sunt, quae animum mihi addunt et dubitantem confirmant: praesertim augustissimi academiae Rectoris voluntas, cuius iussu et auspiciis hunc locum teneo; tum universitatis cui adscriptus sum, ad literas colendas et ad omnem vitae rationem opportunitas. Accedit muneris professorii recordatio non sine fructu a me iam prius gesti. Acquiesco denique in doctissimorum collegarum humanitate: inter quos, praeter alios iam dudum mihi amicos, inprimis me recreat venerabilis in philosophorum ordine senioris, praeceptoris quondam mei, adspectus, quocum ea mihi intercedit et tam diuturna pietatis, animique grati necessitudo, ut nihil optatius evenire mihi poterit, quam ad eius consuetudinem aditum denuo nancisci, et cuius universa antiquitatis intelligendae et interpretandae ratio

ea mihi semper visa est, ut vestigia eius quamvis e longinquo sequi plane mihi propositum sit. Quapropter etsi rei gravitate et muneris suscepti religione commotus, tamen laetabundus et animo obfirmato consaluto Te, vir illustris, Curator universitatis nostrae meritissime, atque Vos, viri doctissimi, collegae omnium ordinum honoratissimi; consaluto Vos, iuvenes lectissimi, qui undique ad hanc Musarum sedem studiorum causa accurristis. Consaluto hanc ipsam optimarum artium officinam et domicilium, atque memor tot in omni literarum genere heroum, qui per saeculorum decursum generi humano studiis suis et laboribus ibidem profuerunt, genium loci veneror.

Sed non satis est, auditores honoratissimi, me animi sensa mei proloqui; etiam aliud quid praestandum relinquitur. Laudabili enim maiorum instituto ab iis, qui docendi adeunt munus, exigitur, ut non a votis solum et verbis auspicentur, sed ut statim in limine quasi templi in quod admittuntur, afferant aliquod donarium, quo et numen venerentur et de sua ipsorum sentiendi et dicendi ratione augurium capi sinant. Atque mihi quidem materiam disputandi aliquam circumspicienti, quae argumenti et dignitate et quantum fieri posset novitate virium mearum tenuitatem compensaret neque a professionis meae munere esset aliena, placuit non ita longa disputatione exponere, quid Aristoteles philosophus de patriis Graecorum religionibus senserit. Quid enim cum ad antiquitatem universam tum ad artem antiquam recte intelligendam plus valet quam antiquarum cognitio religionum? Ad totius autem vitae humanae causas et instituta vel perspicienda vel regenda quid maioris est momenti,

quam haec ipsa religionem inter et philosophiam ratio? Iam vero in utroque hoc genere quod et ad graecas religiones spectat et ad hanc maiorem quaestionem de universa religionum et philosophiae inter se ratione nemo facile arbiter quam Aristoteles potior habebitur. Quapropter disputationis ut argumentum auribus vestris fortasse non plane indignum habebitur, ita tractationem ut aequi bonique consulatis vos rogo. Iam ad rem accedamus.

Bina sunt capita, unde omnino, quid de patriis religionibus philosophus aliquis sentiat, repeti possit: primum vitae acta tum testimonia librorum a se scriptorum. Iam si Aristotelis vitam intropicimus, quamvis paucae, sed habentur tamen nonnullae significationes haud obscurae, quae eo pertinent. Inter quas praesertim testamenti Aristotelei capita quaedam apparent. Iubetur enim ibidem Nicanor heres, Pythiadis filiae suae sponsus, votum ab Aristotele pro eius ipsius salute quondam susceptum solvere, signa marmorea quatuor Iovi Servatori et Minervae Salutiferae ponendo. Ibidemque praescribit philosophus, ut Cereris signum a matre sibi traditum Nemeae vel alio loco conveniente donarium dedicaretur¹⁾. Unde hoc certe quidem efficitur, Aristotelem non abhorruisse a communi in religionibus colendis consuetudine. Sed opponat mihi aliquis fortasse narrationem de Aristotele impietatis accusato, quod quidem crimen ei Demophilus civis Atheniensis, Eurymedonte Hierophanta auctore, tam prospero successu intendit, ut philosophus Athenis Chalcidem in Euboea fugere esset coactus, ubi haud multo post supremum diem obiit. Ita fere haec res a pluribus scriptoribus narratur, neque vero

tam accurate, ut plane et ab omni parte cognoscatur. Sed vel in hac obscura eius rei memoria non difficile est intellectui, quam vana haec criminatio fuerit. Quid enim obiecit philosopho accusator? Primum quod in Hermiae amici laudem celebratissimis illis de virtute versibus paeana conscripserit, quod genus carminum non nisi deo vel heroi, non homini celebrando conveniret; deinde quod decreta quaedam philosopha pronuntiaverit, patriis religionibus adversa²⁾. Sed de illo carmine Athenaeus iam demonstravit meras fuisse calumnias, quum nequiquam paean esset, sed scolion et omnino ex eorum genere carminum, qualia multa similia in celebrium virorum laudem sine ulla offensa apud Graecos composita invenirentur³⁾. Quenam vero philosophiae Aristoteleae praecepta religiones patrias impugnantia notaverit accusator, neque apud rerum scriptores memoriae proditum invenimus, et Aristotelem quanquam philosophandi libertate utentem nusquam tamen hostilem in patrias religiones animum prodidisse ex ipsius libris infra sumus demonstraturi. Harum calumniarum autem quibus philosophus peteretur causas etsi non diserto a rerum scriptoribus traditas tamen coniectura satis probabili assequi possumus. Nimirum Aristoteles et ex doctrinae suae rationibus et ex necessitudine, qua cum Alexandro rege, alumno suo, coniungeretur, ab eorum Atheniensium partibus stetit, qui pacem et Macedonum imperium quam turbulentas reipublicae vicissitudines et pessimi cuiusque potentiam malebant. Alexandro igitur rege extincto omnes qui Macedonum imperio etsi non temere neque ob lucrum sed consulto et communis salutis causa faverent, ab iis qui veterem libertatem vel falsa simula-

tione praetenderent, vel vera animi affectione etiamsi incassum quaerent, omnibus modis lacescebantur. Inter Macedonum autem amicos Aristoteles quum primum locum obtineret, adversarii eorum nihil antiquius habuerunt, quam Alexandri praecceptorem subvertere.

Nihil igitur haec impietatis accusatio a meris sycophantarum et factiosorum hominum artibus profecta nos impedit, quominus testamenti Aristotelei vestigia sequentes philosophum credamus in vitae usu a popularium religionum cultu non fuisse alienum, sed communem in hoc genere consuetudinem, ut alium quemlibet bonum civem esse secutum.

Iam ad alterum huius rei cognoscendae fontem aliquanto uberiores, id est, ad libros Aristoteleos nos convertamus et videamus, siquid inde ad hanc quaestionem explicandam peti possit. Adsignantur igitur Aristoteli volumina, quibus et universum religionum orbem complecteretur, ut opus quod inscribatur *Θεολογούμενα* et quibus singularia capita tractaret, ut de pre-catione (*περὶ εὐχῆς*) et de animalibus fabularibus (*Ἐπερ μυθολογούμενων ζώων*). Neque minus eodem celebratissimum illud opus pertinet, quo omnium fere populorum origines et instituta explicuit, quod sine multiplice et uberiore rerum sacrarum et popularium religionum tractatione perfici non potuit. Atque hunc de religionibus locum sive in his libris sive alias tractans tam longe prospexit et tam libero iudicio usus est, ut neutiquam in solis popularibus Graecorum poetis, Homero, Hesiodo, aliis haereret, sed et antiquiores theologos respexit atque adeo exterarum gentium religiones cum graecis curiose composuit⁴). Sed

illa opera quum longa aetas omnia paucis fragminibus exceptis hauserit, hoc potissimum nobis agendum est, ut sparsos per opera philosophi hodieque reliqua locos conquiramus et potissimos certe quidem apto ordine dispositos explicandi periculum faciamus⁵⁾. In tota autem hac tractatione eum ordinem sumus servaturi, ut inquiramus quid Aristoteles senserit primum omnino de religionibus popularibus, sive de religione quam nos nunc dicere solemus positiva; deinde quid de patriis Graecorum religionum religionibus in universum; postremum delectum faciamus eorum locorum, quibus philosophus de singularibus graecarum religionum fabulis et institutis sententiam proferat. Atque in his omnibus quaestionis tractandae partibus non solum loci diserti et quibus data opera de religionibus sermo instituitur, respiciendi esse videntur, sed etiam verba sponte fusa et oblata occasione sparsa: nam ea ipsa haud raro veram voluntatem et animi sensa certius significant, quam praeparata oratio et consulto composita.

Ita mihi, ut inde ordiar, semper memorabilis visus est locus Topicorum⁶⁾ ubi Aristoteles de sententiis paradoxis sive thesibus tractans, thesium non omnium rationem haberi oportere dicit, sed esse nonnullas continuo reiiciendas potius quam iusta disputatione tractandas, cuius praecepti hoc exemplum proponit. Siquis, inquit, in dubium vocet, utrum dii colendi vel parentes amandi sint nec ne, is castigatione potius quam disputationis communione dignus est. Tantum igitur abfuit, ut receptum communi usu et solennem deorum cultum parvi faceret, ut siquis quaestionem proponeret, qua in civium animis dubitationum et controversiarum semina maligne spargeret, poena eundem aequae

dignum haberet quam siquis de reverentia et amore parentibus tribuendo dubitaret. Praesertim vero quid de religionum natura et usu in universum Aristoteles senserit, ex eo Politicorum libro apparet, quo perfectam rei publicae speciem qualem mente conceperat uberiori descriptione proponit. Ibi quidem ita hunc locum tractat, ut de vera philosophi sententia dubitare non possimus. Postquam enim diversas vitae conditiones et hominum ordines in quaque civitate necessarios enumeravit, agricolarum, opificum, civium vel pacis vel belli munera obeuntium, postremum a vilioribus ad maiora ascendens divini numinis cultum et qui eiusdem habent curam considerat⁷⁾. Iam sumtibus in cultum divinum impendendis largissime providet: integrum enim civitatis territorium in binas partes distribuit, alteram agri publici, alteram privati; publicum rursus in binas partes, quarum alteram deorum cultui assignat, alteram communium conviviorum sumtibus, ita ut quarta integri territorii pars religionum usibus destinetur, quantum quidem vix ulla unquam sacris curandis et sacerdotibus sustentandis res publica impenderit⁸⁾. Neque minori cura aut liberalitate philosophus aedificia divino cultui destinata tractat et sacerdotum habitationi. Praescribit enim esse huius generis aedificia cum publicis magistratuum aedificiis coniungenda, exceptis iis templis, quae vel consuetudine vel ex oraculorum responsis separata esse oporteret; simulque loci naturam et universam sacrorum aedificiorum rationem accuratius indicat⁹⁾. Quid? quod in hoc ipso optimae civitatis exemplari libera mentis cogitatione formato neque verae vitae impedimentis obnoxio tantum consuetis religionum caer-

moniis et auctoritati antiquitatis tribuit, ut etiam non optimas religiones modo antiquas et consuetas retinendas et observandas esse praecipiat. Nam etiamsi subturpes sermones omnes et obscoenos, non minus quam eiusmodi signa et picturas a magistratibus prohiberi et e medio tolli iubeat, disertis verbis eorum deorum festa et sacros ritus excipit atque conservandos censet, quibus more antiquitus consueto et ex veterum caerimoniarum institutis lascivior iocandi et illudendi libertas tribuatur ¹⁰). Etiam significat, quam salubri consilio vel in optima civitate religionum popularium caerimoniae ad vitam regendam adhiberi possint, exemplo satis memorabili. Dum enim de recta coniugii ratione et de cura prolis procreandae tractat, mulieribus gravidis commodam corporis exercitationem commendat easque satis facili negotio ad hanc suae valetudinis curam habendam posse adduci dicit, si ex sacri ritus vel legis institutione pariturae quovis die aedem dei alicuius vel deae adire tenerentur ex eorum numero quibus partus tuendi et prolis munus assignetur ¹¹).

Ex iis quae adhuc sunt prolata hoc consequitur, Aristotelem divini numinis cultum et religionum instituta ad civitatem vel optimam tuendam plane habuisse necessaria, neque qualia sibi quisque vel philosophus vel de plebe non philosopha ex suo arbitrio vel lubitu fingat, sed qualia legibus, et more maiorum sancita atque temporis diuturnitate confirmata in populorum vita inoluerint.

Iam videamus quid de patriis Graecorum religionibus philosophus iudicet et primum quidem de toto hoc genere in universum. Qua quidem in re, siquis Aristotelis nonnisi disserendi

acumen et omnino austerum illud philosophandi genus cogitet, neque ad eiusmodi in scriptis eius locos attenderit, quales modo attulimus, is fortasse philosophum graecarum de diis fabellarum figmenta contempsisse vel nonnisi ut irrideret vel refutaret mentionem earum fecisse putaverit: quod longe secus est. Aristotelem qui accuratius norunt probe sciunt, quantum ab illorum supercilio distet, qui universam humani generis vitam suis decretis ex solo suo ipsorum ingenio scilicet petitis subiiciant, quum contra nemo ipso curiosius veram hominum vitam, instituta, mores, consuetudinem observet, examinet, atque ad hanc vitae veritatem philosophiae commenta tanquam ad obrussam exigat. Admodum curiose igitur etiam patrias religiones ab Aristotele esse investigatas, et doctior quisque philosophi aestimator ultro arbitretur et plura eaque praeclara vestigia in operum eius reliquiis ostendunt. Sed praeter universam philosophiae suae indolem, aliae certae quaedam causae ab ipso afferuntur, quae popularium fabularum studium commendent vel certe quidem excusent. Platonem enim praeceptorem in hac sententia sequens quum homines mirando ad philosophandum adductos esse statuit, addit, ob eam causam philosophum quemque oportere esse etiam philomylum; mythum enim rebus mirabilibus constare¹²⁾. Excusationem autem fabularum de diis popularium a rerum divinarum obscuritate et incerta cognitione petit. Licere enim dicit poetis in repraesentandis deorum personis et vitis communem de iis famam quamvis non optimam neque usquequaque veram sequi, quum eiusmodi res plane certum et clarum intellectum non admittant¹³⁾.

Sed ut iam ad interiores rei causas descendamus, non desunt in reliquis Aristotelis operibus eiusmodi loci, in quibus omnino in religionum graecarum naturam inquirat, eamque ad philosophas rationes revocat ita quidem ut doctrinae suae argumenta inde petat vel rursus e philosophiae rationibus religiones explicet et saniore interpretatione emendet. Primarius de toto hoc genere locus est et pro exemplo esse potest Metaphysicorum locus aliquis ¹⁴), quo de antiquissimorum deorum natura sententiam profert. Postquam ibi de summo illo omnis motus principio, quod incorporeum, aeternum, ipsum immobile totum coelum agitet, tum de aethereis siderum naturis, vivis illis quidem et aeternis, sobria sed generosa quadam et sublimi simplicitate exposuit, antiquarum religionum patriarum fidem, quae et ipsae sidera et coelum pro diis habuerint, ad philosopha sua argumenta confirmanda adhibet, eorumque sensum his fere verbis aperit. Persuasum, inquit, maioribus erat inde ab antiquissimis temporibus et quamvis fabularum involucris posteris traditum, sidera deos esse et universam naturam divino numine contineri. Cui doctrinae post alia additamenta ad multitudinis sensum et ad legum opportunitatem facta accesserunt, veluti deorum formae ad humanae naturae speciem effictae, alia eius generis. Sed si quis doctrinam illam ab his accessionibus segregatam consideraverit, qua antiquitas primas illas substantias sive primam rerum causam divino numini assignavit, egregie excogitatam inveniet. Atque ut multa, ubi primum inventa sunt, postea interciderunt, ita in his patriis et antiquissimis fabulis melioris doctrinae reliquiae nobis servatae, apparent. Quae philosophi sententia quam prae-

clare sit ad veterum religionum sensum accomodata nihil attinet pluribus verbis demonstrare. Eandem fere sententiam ternis aliis locis in libris de Coelo et in Meteorologicis repetit¹⁵). Neque minus aliam antiquarum religionum doctrinam de daemonum natura a divini natura numinis diversa comprobatur. Ubi enim de divinatione per somnia tractans docuit, somnia non a deo mitti sed ad daemones pertinere, disertis verbis addit: natura enim daemones est, non divina¹⁶). — Sed ut veteres religiones ad philosophiae doctrinam explicandam et confirmandam adhibere non respuit, ita rursus patriarum religionum errores philosophiae ope corrigere studet. Cuius generis pro exemplo esse potest locus, ubi opinionem de divini numinis contra humanum genus invidia corripit. Postquam significavit, siquid numen divinum hominibus, quemadmodum poetae narrent, invideat, hoc de perfecta illa et absoluta rerum scientia valere debere solius summi dei propria, humano generi denegata, continuo addit: at fieri non potest, ut numen divinum sit invidiosum et secundum proverbium poetae mendaces¹⁷). Originem causamque et huius et similium in popularibus graecorum religionibus errorum satis clare alio loco significat, quo quidem, ubi deos regum ad exemplar ab antiquitate informari dixit, quoniam populi tunc regnarentur, in universum hanc sententiam pronuntiat: homines deorum ut formas ita etiam vitas et mores ad humanae conditionis modulum deprimere solere¹⁸).

Hactenus de ea disputationis parte, qua quid in universum de toto hoc genere senserit Aristoteles nobis exponendum erat. Iam mihi dicturo de singulis fabulis, institutis, ritibus graecarum

religionum quid iudicaverit philosophus, delectus habendus est, ita quidem ut omittam aut brevi significatione attingam, quaecunque solitariae potius lectioni et criticis disquisitionibus quam huius recitationis tractationi conveniant. Sed haec omnia, quae nunc quidem proponenda sunt sive maiora sive leviora (nam ne minuta quidem aut quae prima fronte vix scitu digna videantur philosophus aspernatur) ad tria omnino capita revocari possunt. Profert enim Aristoteles et explicat singulares fabulas et ritus triplici potissimum occasione utens, vel in historia populorum et antiquitatis memoria enarranda, vel in historia naturali explicanda vel denique in reliquis philosophiae partibus tractandis.

Quod attinet ad primum illud genus largissima religionum et patriarum et peregrinarum materies, ut iam supra significavimus, Aristoteli tractandam se obtulit in praeclaro illo opere, quo omnium fere rerum publicarum formas et instituta exposuit, cuius tractationis vestigia vel in his laceris nobilissimi operis reliquiis, plura supersunt, ut de Atheniensium Apolline patroo, de mysteriorum curatoribus, de altari Apollinis in Delo insula, de oraculo Dodonaeo, alia, quae sigillatim excutere ab hoc loco alienum est¹⁹⁾.

In historia animalium, ut ad alterum genus transeamus, haud semel populares fabulas et superstitiones respicit, ut exempli causa cum explicat, cur aquilam homines divinam avem habeant, et cum eandem avem ob rostrum in senectute prave distortum fame perire narrat, addit: secundum fabulam ore vulgtritum hoc ideo fieri, quia aquila olim ex homine ob hospitem a se caesum in avem mutata esset²⁰⁾. Eodem pertinent aliae fabulae populares, quos commemorat, ut ardearum genus, len-

tam et pigriorem in volatu avem, e servis in aves esse mutatum; lupas duodenos dies continuos paturiendo insumere quoniam et Latona totidem diebus ex Hyperboreis Delum pervenerit²¹). Omnino populares superstitiones vel leviores commemorare non fastidit, neque causas earum inquirere. Ita cum aliquo loco tonitru cum flamma ligni adusti crepitante comparat, hunc flammae crepitantis sonum ab aliis Vulcani vel Vestae risum, ab aliis minas vocari addit²²). Alio loco inquit, cur sternutatio sola inter similes corporis affectiones faustum omen habeatur. Quam hominum opinionem ideo iuvaluisse arbitratur, quia plerumque bonae valetudinis post morbum recuperatae indicium sit, et quia ex sacratissima quasi corporis parte, id est, ex capite proveniat²³).

De reliquis philosophiae partibus explicandis, est apud Aristotelem in *Physicis*, *Metaphysicis* et in libris ad doctrinam moralem pertinentibus, singularum fabularum et opinionum e popularibus religionibus petitarum commemoratio frequentior, quam pro eius severa philosophandi ratione exspectaveris. Iam huius quoque generis exempla quaedam deligamus.

In *Metaphysicis* ubi gravissimam eamque difficilissimam de primis rerum causis locum tractat, hanc quoque quaestionem proponit, utrum iam prima rerum causa et principium pro bono habendum sit, an hoc boni et mali discrimen tum demum accesserit, quum haec ipsa prima rerum causa a primis initiis ad maturitatem et naturae suae complementum pervenisset. Deinde eos philosophos significat qui hanc posteriorem sententiam sequerentur atque eandem doctrinam veteribus quoque religionum

patriarum fabulis subesse pronuntiat, secundum quas initio rerum Nox, Chaos, Uranus, Oceanus fuisse perhiberentur, quibus sero demum Iovis imperium perfectius illud quidem et praestantius successisset²⁴). Atque hoc ipsum Chaos alio loco adhibet ad naturam spatii explicandam. Ubi enim spatium esse docuit aliquid a corporibus separatum, sed in quo corpora omnia contineretur, Hesiodus, inquit, recte Chaos primum omnium rerum esse tradit²⁵). Haud absimili modo sexus differentiam diis attributam ad philosophas rationes revocat. Definit primum marem omnino eiusmodi animal esse, quod in alio gignat, feminam esse animal quod in se ipso gignat. Tum haec addit: quam ob rem etiam omnes naturam telluri quasi feminae et matris tribuunt, Coelum autem et Solem nomine genitoris patrisque appellant²⁶). Similem fere viam in aliis deorum naturis et fabulis interpretandis ingreditur. Ita Martis et Veneris amorem a poetis celebratum hanc ob causam excogitatum dicit, quia fortissimi quique plerumque Venereis studiis maxime obnoxii esse soleant, quod et Lacedaemoniorum exemplo demonstrat, in quarum re publica mulieres multo plus iusto polleant²⁷). Minervam tibus abiecis in fabulis non temere narrari, sed iusta de causa, neque ideo solum quia tibiae usus os deformet, verum etiam quo significetur, hoc musices genus ab elegantiore ingeniorum cultu esse alienum²⁸). Atlantis fabulam, tali ratione explicat. De coeli motu disputans, necessario aliquid esse oportere dicit, quod ipsum quiescens et immobile ad universum coelum ab ipso movendum plane eadem ratione se habeat, qua terra et ipsa immobilis et firma ad animantia in ipsa

versantia se habeat. Deinde hoc addit, talem quandam cogitationem eos habuisse, qui de Atlante fabulam comminiscerentur, quem pedibus terrae firmiter insistentem fingerent, perinde quasi diameter esset universae sphaerae coelumque circa polos torqueret. Eandem tamen fabulam alio loco reprehendit tanquam se-rius et contra antiquissimarum religionum indolem inventam, quippe quae sidera et universum coelum sponte atque virtute naturae divinae sibi insitae circumagi neque eiusmodi quasi fulcro extrinsecus adhibito indigere docuerint²⁹). In eadem causa aliam fabulam adhibet ad suas de coeli motu rationes explicandas. Ubi enim denuo argumentis e naturali scientia et philosophia petitis principium illud omnis in rerum natura motus etsi ipsum quiescens et ab omni motu vacuum a mundo seiunctum et extra mundum vigens demonstravit, ab Homero dicit recte et prudenter hoc quidem sensu catenam illam auream fingi, qua omnes deos deasque ad se attrahat summus universi mundi rector, quin ab ipsis ullo modo de statu suo moveri possit: nam quod omnino et per se sit immobile, a nullo alio moveri posse³⁰). Non absimili modo etiam Oceani fabula utitur ad significandas perpetuas illas vaporum e terra exeuntium et in pluviis redeuntium vices, quas ubi exposuit, addit: si antiqui Oceani nomine tanquam involucro uterentur, hunc ipsum fluvium eodem nomine significare voluisse vaporum et aquarum ubique in terra et circa terram nascentium eoque relabentium³¹). Alia eius generis ne longior sim consulto missa facio.

Hactenus de fabulis sacris sive mythis. De sacris autem ritibus ab Aristotele ad philosopham rationem revocatis pro ex-

emplo esse potest quod de ternario numero in precationibus et caerimoniis frequentato affert. Ubi enim de tribus spatii dimensionibus (linea, superficie, corpore) docuit, facta Pythagoreorum mentione qui omnia ternario numero absolvi dicerent, ideo, inquit, secundum legem a natura ipsa acceptam in deorum caerimoniis hoc numero utimur³²). Ad eundem de sacris ritibus locum pertinet, quod philosophus vim canticorum sacrorum **enthusiasmum** moventium medicam et animi affectuum emendatricem agnoscit³³).

Neque exempla desunt, quae arguunt, quam apte in doctrina morali Aristoteles et ritibus patriarum religionum et fabulis usus sit; ut cum docet ideo Gratiarum signa in urbium foris collocari solere quod nonnisi mutua beneficiorum communione concordia civium et salus publica conservetur³⁴). Inprimis vero huc pertinet praeclarus ille de Silemi responso locus ex Aristotelis dialogo, qui inscribitur Eudemus, apud Plutarchum servatus, quo quidem loco Aristoteleo tanquam pretiosa gemma hunc orationis meae **textum** distinguendi veniam peto³⁵).“ Silenus igitur, ut Aristoteles narrat, a Mida rege captus sciscitanti ei quidnam optimum homini maximeque expetendum esset, principio respondere noluit vocemque compressit, tandem cum urgendi ut aliquid diceret finem nullum Midas faceret, in haec invitus verba erupit: Heu vos homunciones **aerum-**nosi genii et difficilis fortunae filii, quorsum me cogitis ea vobis dicere, quae vobis nescire erat melius? Maxime enim **vacantes** dolore vivunt, qui sua ignorant mala. Hominibus **autem** omnino optimum est non nasci; proximum huic et inter ea quae homo possit consequi primum est, quam celerrime mori. **Manifestum** est — (Aristoteles addit) — sic Silenum pronuntiasse,

quod melior sit mortuorum quam vivorum conditio.“ Egregie quidem, si ea est huius doctrinae sententia, ut hanc terrenam vitam et mortalem prae illa altera aeterna et immortalis ne iusto pluris aestimemus, sed nimis triste et acerbè, si haec vita, quam nunc agimus, spei omnis et solatii plane expers habeatur. Sed constat, similes querelas etiam aliis veterum scriptorum locis haberi quae significant in media hac vigoris et laetitiae plena antiquorum populorum vita hominum animos non acquievisse et nova quasi solamina desiderasse³⁶).

Iam summam eorum ducamus quaecunque adhuc a me disputata sunt, unde haec mihi satis clare apparere videntur. Aristoteles igitur patrias Graecorum religiones populares non fastidivit, non contempsit, non parvi fecit, sed et in vitae usu secutus est et curiose investigavit, descripsit, explicuit: neque in iis solum mera poetarum mendacium ludibria aut inanes et foedos anilium superstitionum errores deprehendere sibi visus est, sed saniores sententias et graviora rerum argumenta his popularium fabularum involueris includi iudicavit quae ut data occasione vel castigando vel apte interpretando emendare studuit, ita ad philosophas rationes revocare et suam ipsius doctrinam operarum explicare et confirmare non est aspernatus; denique tantum religionibus in universum tribuit, ut vel optimam illam suam civitatem, quam non ex verae vitae usu sed ad speciem perfectioris humanitatis mente conceptam expressit, non philosophiae qualicunque sed his ipsis patriis religionibus superstruxerit atque nonnulla in iis etsi non optima retineri quam universas everti mallet.

Disputatione quam institueram ad finem perducta ad mune-

ris a me adeundi commemorationem oratio mea, unde exorsa est, revertatur oportet. Recipite igitur me in coetum vestrum, viri doctissimi, honoratissimi omnium ordinum collegae, pro humanitate vestra et pro ea officii necessitudine, quae inter omnes eiusdem universitatis consortes intercedere debet. Quem fructum rebus nostris labor meus allaturus sit, dies doceat et alii iudicent; sed ut futurum muneris suscepti successum in me recipere non audeo, ita hoc satis confidenter iam nunc Vobis spondeo, me omni virium intentione universitatis nostrae utilitati et decori operam esse navaturum atque collegam me Vobis sincerum et fidum esse praestiturum. Atque etiam professorem talem, comilitones ornatissimi, id est sincerum et fidum me Vobis praestabo nec ulli labori ad commoda vestra promovenda parcam. Praecipue huius legis perpetuo memor ero, quae praecipit iubet veris et perpetuis auditorum commodis consulere, non opinionum ludibriis servire nedum malis artibus et seculi vitii blandiri. Neque tam meam professoris personam quam professionis meae munus et materiam Vobis, commilitones, commendari velim, Graecorum et Romanorum artes dico et literas, ad quas explicandas in collegarum doctissimorum, qui eadem studia profitentur, consortium adscitus sum. Quod praesertim ad antiquae artis opera attinet, ad quae cognoscenda viam Vobis monstrare conabor, nihil iis ad voluptatem gratius, nihil ad vivam quasi antiquitatem et spirantem cognoscendam fructuosius esse, non est quod pluribus verbis demonstrarem. De graeca autem et romana antiquitate in universum sic habetote. Ut nostra aetas in natura perscrutanda et ad vitae usus subigenda

antiquum aevum superat, ita hodieque in religionibus, in rerum publicarum legibus et institutis, in literis et artibus cognoscendis et diiudicandis nemo absque antiquarum literarum cognitione ultra vulgus sapere potest; non perinde ac si is qui graece et latine calleat continuo omnium harum rerum scientiam et usum adipiscatur, sed praeclarum et plane necessarium instrumentum sibi comparavit, quo totius aevi memoriam suis oculis perlustrare et fundamenta, super quae recentiorum populorum instituta, leges, literae quasi exstructa sunt, introspicere potest. Atque haec est vestra praerogativa, hic est vester fructus liberalis institutionis puerilis, qua imbuti estis, et legitimi studiorum cursus, dummodo humanitatis studia cum reliquarum disciplinarum quibus nunc operam navatis, tractatione quantum fieri potest copulare pergatis.

Sed cum iam ad clausulam oratio mea pervenerit, nihil aliud nunc reliquum est, quam vota solennia nuncupare, a quibus munus mihi demandatum auspicari par est, primum pro Principe nostro, Magno duce Leopoldo eodemque augustissimo huius academiae Rectore, ut salvus, salva domo augusta quam diutissime regnet; deinde pro eorum salute omnium qui nunc vel docendi vel discendi causa universitati nostrae adscripti sunt, ut studiorum rectam semper viam teneant et uberrimos fructus nanciscantur; postremum pro hac ipsa universitate nostra, Ruperto-Carolina, ut in omne aevum et professorum doctrina optimaque in studiis regendis ratione et auditorum frequentia non minus quam industria bonisque moribus excellat, atque ut vere sit stabile disciplinarum, virtutis, religionis domicilium et saluberrima officina in perpetuum duratura.

NOTAE.

1) Diogen. Laert. V, 1, 9. §. 16. cf. Becker. Charicles. Tom. II. p. 227.

2) Diogen. Laert. V, 1, 7. — Origin. contr. Cels. I. p. 51. Ed. Hoeschel. — De hac Aristotelis accusatione similique Theophrasti optime exposuit F. A. Hoffmann, lycei Rastadini professor, in dissertatione. De lege contra philosophos inprimis Theophrastum auctore Sophocle lata. Carolsruhae 1842.

3) Athenae. XV, 696. B. Ed. Casaub.

4) De theologis Orphicis ab Aristotele laudatis V. Metaphys. N, 4. p. 1091, 6, 6. cf. Creuzer. Symbol. III. 142. Brandis. Geschichte der griech. röm. Philosoph. I, 59, 69. — Iovem cum Oromasde, Plutonem cum Arimano componi ab Aristotele Diogenes Laert. refert. Prooem. VI, 8.

5) Librum de mundo quamvis multa ad hanc quaestionem spectantia contineat, consulto omisimus, quippe qui pro suppositicio vel dubio certe quidem habeatur. Sed rursus haec quaestio a nobis tractata magnam vim habet ad eam libri illius partem diiudicandam, qua religiones populares cum philosophis rationibus conciliandi studium apparet, quod quidem non tam alienum ab Aristotele est, quam Meinersio, aliis et Osanno ipsi tam egregie de hoc libro disputanti videatur (Osann Beiträge zur griech. u. röm. Literaturgesch. T. I. p. 171 seqq. et p. 194).

6) Topic. I, 11. p. 105. a. 5. Ed. Berol. Non absimili modo in pictura lesches delphicae impius in patrem juxta sacrilegum poenam luens adspiciebatur. Pausan. X, 28, 2.

7) Politic. VII, 7, 4. p. 283. Ed. Schneid. — Ibid. VII, 8, 6. p. 286.

8) Polit. VII, 9, 7. p. 289.

9) Polit. VII, 11, 1. p. 293.

10) Polit. VII, 15, 8. Non tam de Priapo et Orthane, Conisalo, aliis eius generis daemonibus hoc loco cogitandum esse videtur, quod Schneidero et Goettlingio placuit, quam de gephyrismo, de steniis, Cereris festis, aliis similibus, de quibus V. Creuzer. Symbol. Tom. IV. p. 454. et p. 529.

11) Polit. VII, 14, 9. p. 309.

12) Metaphys. I, 2. p. 982. b. Ed. Berol.

13) Poetic. c. 25. p. 1490.

14) Metaphys. XII, 8, p. 1074. b.

15) De coelo I, 3. p. 270. b. 5. II, 1. p. 284. a. 1. Meteorolog. I, 3, §. 4. Ed. Ideler p. 7. Vol. I.

16) Divinatio per somn. p. 463. b. 14 et p. 464. a. coll. Problem. XIX, 49. Cf. Creuzer. Symbol. Tom. I. p. 392 seqq. III, p. 74.

17) Metaphys. I, 2. p. 983. a. 1.

18) Polit. I, 1, 7. p. 7. Ed. Schn. Hunc fortasse locum significavit J. Paul Richter Vorschule d. Aesthet. §. 57. Tom. I. p. 267. ubi dicit; „wie nach Aristoteles sich die Menschen nach ihren Göttern errathen lassen.“ Alius certe quidem Aristotelis locus, qui propius ad hanc sententiam accedat mihi non innotuit.

19) Niebuhr Röm. G. I. p. 21. „Aristoteles erforschte (in seinen Politen) die Verfassungen und Sitten der Völker, ohne das Mythische zu verachten, welches in der Geschichte der Alten nirgends durch eine scharfe Linie von den historischen Erzählungen abgesondert wird.“ Loci ex opere rerum publicarum Aristotelis a me significati collecti habentur in Aristotelis rerum publicarum reliquiis Ed. Neumann. Heidelberg. 1827.

20) Histor. Animal. IX, 32. p. 619. a. 20. Ed. Berol.

21) Ibid. IX, 18. p. 617. b. et VI, 35. p. 580. 15.

22) Meteorolog. II, 9. p. 369. a. 30.

23) Problem. XXXIII, 9. p. 962. a. 31.

24) Metaphys. XIV, 4. p. 1091. b. 3.

25) Physic. IV, 1. p. 208. b. 29.

26) De generat. animal. I, 2. p. 716. a. 15.

27) Polit. II, 9. p. 1269. b. 25. Ed. Berol. II, 6, 6. Ed. Schneid. Lectu dignissima est Petri Baylii disputatio, qua contra communem hominum opinionem exemplis pluribus Tillyi, Turenii aliorum belliducum egregiorum demonstrat, fortes viros et bellicosos non esse natura ad studia venerea necessario propensos. V. Dictionnaire critique s. v. Henri IV. not. B. Tom. II. p. 62. Ed. Roterod. 1697.

28) Polit. VIII, 6, 8. p. 331. Ed. Schneid. pag. 1341. b. 2. Ed. Berol.

29) De animal. mot. c, 3. p. 699. et De coelo II, 1. Quibus locis addendus est tertius locus Metaphys. IV, 23 ubi explicat Aristoteles, quo sensu apud poetas Atlas τὸν οὐρανὸν ἔχει dicatur. Non neglexerunt hos locos Aristoteleos viri docti qui nuper de Atlante disputarunt Letronnius, Rochettus, G. Hermannus alii. V. G. Hermann. De Atlante. Opuscul. Vol. VII. p. 247 et p. 255.

30) De motu animal. cap. 4. Cf. Creuzer. Symbol. Vol. I. p. 97.

31) Meteorolog. I, 9. p. 347. a. 5.

32) De coelo, I, 1. p. 268. a. 14.

33) Polit. VIII, 7, 5. p. 333. Ed. Schneid.

34) Ethic. Nicom. V, 5, 7.

35) Plutarch. Consolat. ad Apollon. p. 115. B. Vol. I. p. 454. Ed. Wytttenbach. Creuzer. Stud. II. 234. 303. De eadem Sileni fabula coram Mida vaticinantis, artis operibus expressa V. Gerhard Archaeolog. Zeitung. 1844. p. 388. 1845. p. 87.

36) Totum hunc locum ingeniose tractavit Petrus Ernestus de Lasaulx in Commentatione De mortis dominatu in veteres. Monaci. 1835 ubi nec huius loci Aristotelei oblitus est pag. 46. Quae praetermisit, ut Ceiorum consuetudinem hanc vitam tam parvi facientium atque Prodicī sophistae doctrinam de huius vitae conditione miserrima et omni nostra spe in beata aeternitate ponenda, alia quaedam, suppleri possunt e Welckeri doctissima de Prodicō disputatione. Neues Rhein. Mus. I, 3. p. 608 sqq. „Von Leben, Tod und Unsterblichkeit.“